



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

28. Charitas zeli animarum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



*omnibus viis cogita illum, & ipse diriget gressus suos. Proverb. 3. 6.*

## PASSUS XXVIII.

Charitas Zeli Animarum.

### TEXTUS.

*Zelus domus tuæ comedit me.*  
Psal. 68. 10.

#### Cognitio.

**Z**elus est intensus justii, veri amatoris affectus, quo diligentissimè quærit honorem Dei, & proximorum salutem, & quidquid his duobus opponitur, fortiter constantèrque repellit.

Hic autem zelus est ignitus amor DEI, desideriumque, ut is ab omnibus enixè ametur, honoretur, colatur, tam incensum, ut qui eo ardet, omnes eodem inflammare cupiat: & si Deum impunè injuriis laceffi animadvertat, ingemiscat; atque igne illo consumente, & intimè viscera depascente, planè contabescat.

Triplicis verò generis actiones sunt, quibus à zelatore zelus exercetur. 1. Aliæ ad intellectum illustrandum valent: ut lectio,  
M doctio,



doctio, scriptio, catechismus. 2. Aliæ ad voluntatem permovendam faciunt; ut concio, monitio, reprehensio, exemplum. 3. Aliæ, quibus divinæ virtutis vis obtinetur; ut oratio, corporis castigatio, virtutum adeptio, quæ instrumentum, ad animas Deo lucrandas, reddunt aptius.

## Actus:

1. Meditari sæpe de præstantia & pretio animarum, aliâque huc facientia.
2. Orare ardenrer pro salute animarum, & vehementer desiderare augmentum gloriæ Dei per illas.
3. Laborare strenuè pro gloria Dei, & lucro animarum; muniâque laboriosa ad id magis conducibilia, honorificis præferre.
4. Perfectionem propriam impensius curare, quàm alienam; cum inde pendeat profectus aliorum: omnibûsque exemplo sanctæ conversationis prælucere.
5. Opera quotidiana, & varias afflictiones corporis, pro Deo placando, & salute animarum offerre.
6. Rudes & imperitos Catechesi instruere, concionésque efficaces ac zelosas ad populum habere.
7. Exhomologeses libenter & assiduè excipere; infirmis & moribundis diligenter & constanter assistere: atque inimicorum reconciliationem procurare.



8. In ministeriis suis, pauperes divitibus, ignobiles nobilibus præponere, si id sit ad majus Dei obsequium.
9. Si laboribus nostris fructus non respondeat, dolere, & mœrere; & non sine luctu, filios, id est fructum laborum suorum à Deo postulare.
10. Omnia commoda, sanitatem, & propriam vitam temporalem in præparatione animi; imò & ipso opere, si nimirum fuerit pro majore Dei gloria, & animarum salute, profundere.

### *Dilectio.*

Domine JESU Christe, qui ex zelo gloriæ Patris, & pro salute animarum, de cœlo descendisti, ut genus humanum, velut ovem perditam quæreres, & in cœlum deportares, cum propriæ vitæ tuæ dispendio: an non par est, ut zelum tuum, pro modo-  
 lo meo æmuler? I. Quid enim Tibi gratius potest accidere, quàm ut animæ, à Te tam carè redemptæ, ab exitio sempiterno liberentur? II. Quid animâ, omnibus mundi thesauris excellentiore, nobilius? III. An non tam grande vocationis meæ beneficium, & apostolici muneris dignitas, zelum ejusmodi jure à me exigit? IV. An non præmiorum cœlestium magnitudo invitat? An non animi gratitudo zelum requirit?



V. Imò an non proximus, quasi creditor, titulo justitiæ, zelum talem à me reposcit?

*Petitio.*

Domine JESU, zelator animarum ferventissime, qui pro gloria Patris & animarum salute, non dubitasti manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum: fac me, divitias, honores, voluptates, parentes, cognatos, amicos, valetudinem, famam, ac denique vitam ipsam gloriæ tuæ & animarum saluti postponere, & eandem ardentissimè pro viribus procurare.

*Aspirationes.*

I. Testis est mihi Deus, quomodo omnes vos cupiam in visceribus Iesu Christi; & hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet. Ad Phil. c. 1. 8.

II. Divinorum omnium divinissimum est, cooperari in salutem animarum. S. Dionys. cælest. Hierarch. c. 3.

III. Domine, da mihi animas. S. Franc. Xaverius.

